

**INSULA MAURICIUS**

EXC.MI P. D. DANIELIS LISTON  
*Episcopi Portus Ludovici (Port-Louis)*

Port. Louis, Ile Maurice, 7 octobris 1959

*Eminentissime Domine,*

Cum per Litteras die 18 iunii 1959 e Civitate Vaticana expeditas Eminentia Vestra infrascriptum rogasset ut Pontificiae Commissioni Antepreparatoriae communicaret vota seu animadversiones circa ea quae in futuro Concilio tractari deberent, hodie libenter et breviter aliqua submittit argumenta quae ei et suo concilio dioecesano alicuius momenti esse videntur.

A) *Doctrina*

*Theologia dogmatica.*

Definiatur doctrina de statu futuro infantium qui sine baptismo e vita decesserunt.

*Theologia moralis.*

Clarificetur in quo consistat hodie opus sic dictum servile.

B) *Disciplina*

Obligatio portandi vestem talarem extra ecclesiam, caeremonias vel domum religiosam supprimatur — uti fit in Anglia, America septentrionali etc. — dummodo cleri aliquam vestem portent quae speciem clericalem prae se ferat.

C) *Formatio Cleri*

Alumni dum sua studia sive in seminariis sive in universitatibus ecclesiasticis prosequantur, magis inducantur in cognitionem quaestionum theologiarum, philosophicarum, socialium quae modernae appellari possunt et quae, quamvis hodie maximi momenti propter instructionem superiorem quae in scholis et etiam in universitatibus magis magisque apud omnes gentes diffunditur, vix vel nullo modo tractantur: uti sunt Positivismus, Existentialismus, Communismus ...

Idem seminaristae formentur ad cognitionem acquirendam et ad usum in laboribus pastoralibus ampliorem, perfectiorem, magis quidem

modernum eorum instrumentorum quae eis hodie praebet scientia technica, uti radio et televisio, quibus uti magno cum fructu non possint sine formatione omnino speciali.

D)

Lingua Latina pro celebratione Missae retineatur sed usus linguae vulgaris permittatur in administratione Sacramentorum et benedictionibus (quae in Rituali Romano continentur).

E)

Organisatio centralis Ecclesiae in dies magis fiat internationalis, nominando ad congregationes romanas sacerdotes ex Africa, ex Indiis, ex America septentrionali et meridionali etc. ita ut creetur in summa Ecclesiae directione aliqua mentis habitudo quae finibus neque alicuius civitatis neque alicuius continentis limitetur sed possit revera inspicere in tota eorum universalitate et incidentia internationali hodiernae Ecclesiae problemata et solutiones quae ad ea dirimenda proponantur.

Interim omni cum reverentia subsignor

Eminentiae Vestrae  
addictissimus in Domino

✠ DANIEL LISTON  
*Episcopus Portus Ludovici*